

Q. D. B. V.

AVSPICIIS

RECTORIS ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMI,  
SERENISSIMI PRINCIPIS AC DOMINI

DN. FRIDERICI AVGVSTI,

PRINCIPIS REGII ET ELECTORATVS HEREDIS,  
ETC. ETC. ETC.

DE

UNITATE, UNIONE  
ET COMMVNICATIONE,

PRAESIDE

GEORG. FRIDER. SCHROEERO,

SS. THEOL. DOCT. EIVSDEMQUE PROF. PVBL. EXTRA-  
ORD. LOGIC. VERO ET METAPHYS. ORDINARIO,

IN CATHEDRA LVTHERI

*Ad D. XVII. Decembr. c 1710 C C X.*

PVBLICE DISPVTABIT

M. DAVID FRIDERICUS HANITSCH,

Glasehutta Misnicus.

VITEMBERGAE,

EX OFFICINA CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYPOGR.

38.

*Ex lib. 4.*

oll. diss. A  
18, 65

*Diss. A. 218. (65)*



ILLVSTRI AC GENEROSISSIMO  
VIRO,  
DN. IOANNI DANIELI  
de KOSERIZ,

NAVNDORFII, CASABRAE AC DOEBERNIZII,  
DYNASTAE ET HEREDITARIO  
FORTVNATISSIMO,

PATRONO SVO OPTIMO MAXIMOQVE,

Atque item

VIRO PLVRIMVM REVERENDO,  
AMPLISSIMOQVE,

DN. GABRIELI HANITSCHIO,

V. D. M.

Naundorfii & Hohenvuffii multo vigilantissimo  
meritissimoque,

FRATRI SVO PERQVAM DILECTO,

Dissertationem hanc Academicam

L. M. Q.

D. D. C.

RESPONDENS.





Clarissimo & Doctissimo  
DN. RESPONDENTI

S. P. D.

PRAESES.

**J**ustinus Martyr, Philosophus  
primo gentilis & postremo  
christianus, a studio Sapieniae  
nunquam abstinuit; sed Philo-  
sophiam cum Theologia con-  
iunxit, & ad res sacras & divi-  
nas applicavit. Insignis ejus E-  
ruditionis profundaeque sapi-  
entiae testes sunt libri ab ipso  
editi, Cohortatio speciatim ad  
Graecos, Dialogus cum Try-  
phone Judaeo, & pro Christianis  
Apologia. Ecclesia necessitate  
coacta recepit Philosophiam, ad  
pravas opiniones recte intelli-  
gendas, & controversias diri-  
mendas aptissimam. Nemo i-  
taque



taque nobis dabit vitio, quod  
jussu & auctoritate Dei bel-  
lum cum falsis opinionibus ge-  
rentes, illis utamur armis, qui-  
bus vera olim Ecclesia cum ho-  
stibus Veritatis decertavit. Imit-  
taris, Fautor Honorande, Patrum  
& Optimorum Theologorum  
exempla, in utroque Doctrinae  
genere laudabiles facis profe-  
ctus, & publicum Eruditionis  
Tuae non sine applausu Docto-  
rum edis specimen. Conseruet  
Deus ingenuas Artes & bonas  
Literas, augeat Eruditionis &  
Sapientiae Patronos, qui Tibi  
integros sex annos in Academia  
nostra cum laude versato, etiam  
discessuro sint propitii, consu-  
lant atque prospiciant. Vale. Vi-  
tembergae 13. Decemb.

A. 1710.



Thef. I.

Unitas, quae est indivisio entis,  
est vel simplex, vel composita.

ἑνθεσις.

§. I. **U**Nitas simplex est proprietas,  
qua res est indivisa & indivisibilis. Ut  
esse indivisum divisioni opponitur, eoque rem,  
actu in se divisam esse negatur: ita opponitur,  
indivisibilitas divisibilitati, estque proprietas,  
qua divisibilitatis removetur possibilitas. Haec  
vel absolute est indivisibilis, qua res absolute  
simplex in realiter à se diversa dividi absolute  
non potest: quae solius Dei est proprietas, quam  
simplicissima demonstrat essentia. Quod אלהים  
Deuteron. 6. v. 4. unitatem Dei plane singula-  
rem significet, affirmant Judaei, qui teste Castel-  
lo p. 78. Lexic. Deum tantum simpliciter אלהים  
esse, statuunt. Est quidem Unitas intelligenda  
metaphysica, qua Deus est indivisus indivisibi-  
lis, cum unitate vero simpliciter exclusiva com-  
posita, qua Deum ut solem unum esse pernega-  
tur, vid. contra Crellium Calovium P. I. Scri-  
ptor. antiSocinian. de divinae essentiae unitate  
§. 187. p. 186. & quia diversis inest Personis pla-  
ne singularis est. vid. Carpz. Isagog. in Libr. Sym-  
bol. p. 78. Vel dicitur secundum quid indivi-  
sibilis, estque rei proprietas, qua rei essentia est  
indivisa indivisibilis: & convenit angelis atque  
animabus rationalibus, quae res immateriales  
A sunt,



sunt, & ex simplicibus constant essentiis. Haec unitas, qua essentia spiritus finiti nec divisa est, nec in plura realiter diversa divisibilis, divisio autem in alia, ab essentia Spiritus finiti diversa, non negatur, differt ab unitate simpliciter indivisibili, qua non tantum essentia, sed tota res nec in essentialia realiter diversa, nec in essentiam & accidentia dividi potest. Hujus vero ratio non est unitas Dei transcendentalis formaliter concepta, sed simplicissima Dei Simplicitas, cum qua unitas transcendentalis conjungitur.

§. 2. **Unitas composita est, qua res in se indivisa in realiter diversa, ex quibus constat, est divisibilis.** Sic homo ex diversis partibus compositus & in se indivisus est, & in partes animam nempe & corpus divisibilis. Unio essentiae, quam unitas divisa divisibilis sequitur, compositae ratio, est etiam unitatis istius causa.

Thef. II.

**Utraque unitas vel est formalis, vel singularis.**

ἐν θεοις.

§. I. **F**ormalis unitas est divisio essentiae in se & praecise consideratae I. Convenit nempe essentiae qua intrinsecum conceptum, & à statu tam universalitatis, quam singularitatis praecisae. Essentia nempe angeli  
in



in se considerata non habita vel universalis, vel individuae, nempe Gabriel. Raphael. &c. essentiae ratione, est indivisa. Haec unitas differt ab unitate universali. Est enim 1. realis; universalis autem est mentalis. 2. Universalis qua talis est incommunicabilis & universali propria; at formalis convenit omnibus singularibus. Nam unitas Spiritus formalis inest realiter Deo, Angelo Michaeli, & animae rationali. Unitas entis abstracti est formalis.

§. 2. **Unitas singularis, seu numerica,** non mathematica; sed metaphysica, est divisio singularis, seu hujus numero essentiae, in plura ejusdem essentiae inferiora, indivisibilis. Haec unitas differt 1. ab unitate formali indivisione essentiae singularis, quae essentiae determinatio unitati non convenit formali. 2. ab unitate universali, quae in plura inferiora est divisibilis.

§. 3. **Divisio unitatis in unitatem,** per essentiam & per participationem innititur essentiis, quarum una nempe Dei est independens, reliquae dependentes. Quoniam enim tale est attributum, qualis est essentia vid. cap. 3. thes. 3. Hinc talis est unitas, qualis est essentia.

Thef. III.

**Unitas Personae Christi est  
singularissima.**

A 2

ἐκ θεοῦ.



ἐν θεοῖς.

§. 1. **U**Num Christi est ὑφιστάμενον, ex duabus naturis, quarum quaelibet essentialiter completa est, compositum, & ita indivisum, ut propter divinam ordinationem sit indivisibile. Haec unitas, quoniam & supernaturalis est, & datur sola, est singularissima.

§. 2. **U**nitas Christi non tantum exclusiva, indicatur 1. Timoth. 2. v. 5. his verbis: εἰς μεσότης θεῶν καὶ ἀνθρώπων, verum etiam singularissima, quae personae est compositae. Indivisio unius Mediatoris seu Personae probatur his verbis: ἀνθρώπου καὶ Χριστοῦ Ἰησοῦς. Vide de unitate Christi Chemnit. de duabus Naturis in Christo c. 4. p. 182.

§. 3. **H**aec Personae unitas non negat unitatem in Christo Deo essentialem, neque negat unitatem, Creatori & Conservatori convenientem. Quapropter nulla vis inest sequenti Photinianorum argumento: Si Deus est unus, & Christus est unus Mediator, sequitur, quod Christus non sit Deus. vid. Balduin. commentar. in h. l. Nos potius ita concludimus: Quia unus Mediator est Christus Jesus. Ergo est Deus & homo, & quia Deus est, unus quoque cum Patre Creator est.

Thef. IV.

**Principium unitatis compositae extrinsecum est unitio.**

ἐν θεοῖς.



§. I. **U**Nitio est actus, quo ea, ex quibus constat compositum, conjunguntur. Dicitur etiam à nonnullis Auctoribus unio, quae actus est, quo componenda conjunguntur; non autem quae est status, cujus ratio seu causa est unio, quae permanente unione transit, atque fit ab istis, quae active, non autem passive se habent.

§. 2. Dividitur unio in I. naturalem, quae naturalis est componendorum conjunctio. Estque vel externa, qua res extrinsecus uniuntur; vel interna, quae intrinseca rerum componendarum est conjunctio, atque propter terminum in accidentalem, & essentialem dividitur. Ultimam directe explicat Metaphysica naturalis, atque est naturalis partium essentialium conjunctio, quae in omni generatione datur physica. 2. Praeter naturalem, quae est conjunctio praeter naturae ordinem componendorum. Ejusmodi erat olim obsessio vid. Matth. 5. v. 7. Matth. 8. v. 29. Luc. 4. v. 33. 3. Supernaturalem, quae duplex est: α) in se est actus supernaturalis, terminus vero ejus est naturalis. Sic unio five actualis animae primae inspiratio Gen. 2. v. 7. erat actus supernaturalis, terminus autem, unus homo, erat res naturalis. β) in se & ratione termini, nempe unitatis supernaturalis. Haec est I. vel accidentalis, quae α) gratiosa & spiritualis est nempe



actualis Substantiarum Supernaturalium, SS. scilicet Trinitatis, humanaeque Christi Naturae cum Substantia hominis fidelis conjunctio, cujus descriptionem vid. à Koenig. part. ultim. §. 586. p. 214. traditam, eamque ab Hülsemano in Breviario extenso cap. 14. p. 904. sqq. & Dorscheo in Pentadecad. p. 583. defensam. De hac unitione loquitur Christus, quando Joh. 14. v. 23. dicit: Ego & Pater meus *πρὸς αὐτὸν ἐλευσόμεθα*. b) Sacramentalis est rei terrestris cum coelesti conjunctio, ejus differentiam Koenigius §. 742. Part. ultim. §. 767. §. 793. & §. 816. exposuit. c) Gloriosa est actus, quo Deus se cum angelis in bono confirmatis & beatis hominibus gloriose univit, & aliquando conjunget. Vel est Personalis, estque divinae naturae & humanae ad unum *ὑφιστάμενον* conjunctio. Accidentalem indirecte tractat Metaphysica; personalem autem, cujus consequens est Christus, quem unum per accidens esse, antea merito negavi, quae divina est, & sacris literis collustratur, exponit Metaphysica.

§. 3. Extrema unitionis essentialis sunt partes essentialis, personalis vero duae naturae divina & humana; Unitionis spiritualis extrema sunt Deus, humana Christi Natura & credentes; Sacramentalis, materia coelestis & terrestis.

§. 4. Forma unitionis propriae & realis consistit in reali extremorum, & intimae spe-



speciatim in intima illorum conjunctione. De  
unitione loquor propria & reali, quae 1.) impro-  
priae, verbali, quae verborum & terminorum  
conjuuctio est; 2.) mentali seu imaginariae,  $\alpha$ )  
quae rationis est ratiocinantis, atque mentalis  
realiter non unitorum est conjunctio, estque i-  
psa compositorum effectio;  $\beta$ ) quae rationis  
est ratiocinatae speciatim notionalis, & mentalis  
est notionis cum notione conjunctio, quae in  
tribus mentis fit operationibus. In prima con-  
jungitur genus cum speciebus, species cum in-  
dividuis; in secunda subjectum cum praedica-  
to; in tertia cum praemissis conclusio; 3.) virtua-  
li, quae rei tantum per virtutem ejus cum alio  
est conjunctio: sic Sol se conjungit per radios  
diffusos cum hominibus, arboribus, lapidibus  
& reliquis; 4.) morali quae est mentis & volunta-  
tis unius cum altera, ut idem sentiant & velint,  
conjunctio; 5.) civili & oeconomicae, quae socia-  
les sunt conjunctiones, opponitur, & dicitur  
realis, quia nobis non cogitantibus datur. I-  
gnis conjungit se intime cum ferro; corpus &  
sanguis Christi uniuntur ita cum materia terre-  
stri, ut in, cum & sub pane fit corpus, & in,  
cum & sub vino sanguis; Spiritualem unitio-  
nem conjunctionem esse extremorum realem  
& actualem probat Deus Ephes. 5. v. 30. & 32.  
convenientiam istius unitiois cum naturali o-  
stendens. Si hoc de spirituali unitioe recte  
asseritur, idem quoque de gloriosa unitioe erit  
affirmandum. Personalis unitio realis, actua-  
lis

lis



lis & intima à Johanne c. i. v. 14. his demon-  
stratur verbis: ὁ λόγος σαρκὸς ἐγένετο.

§. 5. Ubi plena & consummata est  
unitio, ibi quoque actus istius est receptio, si  
subjecto recipienti potentia passiva non inest na-  
turalis; inest tamen obediens. Corpori hu-  
mano passiva potentia, animam nempe recipiendi,  
convenit naturalis; materiae vero terrestri in Sa-  
cramentali unione; hominibus in unione spiri-  
tuali & humanae Christi Naturae in unione per-  
sonali obediens. His positis, unitio nempe  
& receptione, componendorum fit coalitio.  
Sic coalescunt habitus, & homo in unum ens  
per accidens; materia coelestis & terrestris in  
unum Sacramentum; divina & humana Natu-  
ra in unam Personam; Forma & materia in u-  
nam essentiam.

Thef. V.

Hinc Unionem absolutam se-  
quitur unio.

ἐν θεοις.

§. 1. **A**bsoluta unitio res, quae con-  
junguntur, in certo sunt statu, qui di-  
citur unio; quam respectus seu relatio comita-  
tur. Unionem vero contemplamur I. pro-  
priam & realem. Ergo mittimus unionem  
verbaalem, quae tantum verborum propter si-  
gnificatorum similitudinem unitorum status  
est. Hunc animo concipiebant, Christus se &  
vitam



vitem Joh. 15. v. 1. Johannes Christum & agnum  
 Joh. 1. v. 29. & Petrus 1. epist. c. 5. v. 8. Diabo-  
 lum & leonem rugientem, verba nempe men-  
 te unita considerantes.  $\beta$  Unionem mentalem,  
 tam rationis ratiocinantis, quae est status men-  
 te tantum absque fundamento in re unitorum,  
 quomodo se habent divinitatis particula & ho-  
 mo, quae Fanatici absque fundamento unita  
 concipiunt: quam rationis ratiocinatae, spe-  
 ciatim notionalem, status enim seu unio speci-  
 ei & reliquarum notionum non est realis, sed  
 mentalis.  $\gamma$  virtuales, per nudam nempe vir-  
 tutem conjunctorum coalitionem.  $\delta$  relativam,  
 sive sit 1) socialis tam a.) naturalis, unio nempe  
 societatis vel herilis, quae est Magistratus & sub-  
 ditorum status. Ordinationem illam divinam, &  
 relationem inter Magistratum & subditum pro-  
 bat Paulus Rom. 13. v. 1. vel conjugalis, quae  
 Conjugum est status. Hinc duo una sunt ca-  
 ro. Matth. 19. v. 5. Respectus, qui est inter con-  
 juges, obligatione demonstratur; vel paterna,  
 status Patris & Filii, qui naturali vinculo copulati  
 sunt, quorum relatio tam diu permanet, quam  
 diu status ille continuatur: quam b.) socialis my-  
 stica, quae unio est membrorum Ecclesiae sive  
 Fidelium inter se in vera Fide & Charitate. 2) si-  
 ve sit moraliis, estque in rebus intelligentibus,  
 mentis & voluntatis consensus, quae vel mala,  
 vel bona est. Illa convenit Diabolis, pravis-  
 que hominibus, olim speciatim Judaeis, Joh.  
 8. atque omnibus haereticis, qui iisdem

B

im-



implicantur erroribus; ista vero est Ecclesiae triumphantis & militantis. Fideles enim ita unitos esse, docet nos Christus Joh. 17. v. 21. Quaeritur vero: An unio moralis tribus Trinitatis conveniat Personis? De unitate morali I. Joh. 5. v. 7. agi, statuunt Sociniani, vid. Gerh. part. 2. disp. theol. part. poster. disp. ex illo dicto §. 20. Nostrates, unitatem testimonii & voluntatis non negantes, recte demonstrant, quod unitas sit intelligenda essentiae, quam Christus sibi Joh. 10. v. 30. tribuit: & Gerhardus loc. alleg. consensu trium Personarum unam probare conatur essentiam: & nonnulli concedunt unionem inter Personas divinas moralem. Orthodoxa quidem nostrorum Theologorum est sententia, qui consensum inter Personas divinas propter unitatem voluntatis & unionem moralem concedunt. Quia vero distincti volendi actus consensioni formaliter conveniunt, atque unio moralis distinctos intellectus distinctasque voluntates supponit, non tam consensum & unionem moralem inter divinas Personas, quam singularissimam voluntatem, & identitatem actus esse sentio.

§. 2. Metaphysica contemplatur unionem II. internā, quae est status intime unitorū, quae se intime permeant. Estq; haec unio primo diversarum substantiarū, quibus primo convenit *περιχώρησις*, vel permeatio intima. Nam ut *περιχωρῆν* immigrare, pervadere, permeare, penetrare, & undique aliquid complecti, significat:



ficat: ita περιχώρησις primo & proprie convenit substantiis: analogice tamen unio interna convenit quoque accidenti, speciatim imagini divinae, quae in omnibus Protoplastorum erat membris, eaque quasi permeabat. Haec opponitur unioni externae, quae extrinsecus unitorum status est. Sic substantiarum, quarum partes unitae tantum sunt extremae, nexuque extrinsecus copulatae, datur coalitio, quae παρασάτην nominatur. Est haec unio, quidem realis, non autem metaphysica unitatis compositae, entis attributi, causa & ratio. Sic asferes conglutinati, lapides, calx & lapides inter se cohaerentes, & reliquae aedificii partes extrinsecus unitae, non constituunt unum, quod dicitur, transcendente. Dividitur unio externa à multis in mediatam & immediatam, in majorem & minorem, in propiorem & remotiorem. vid. Calov. Metaph. divin. c. 4. §. 6. p. 248. & Scharff. Metaph. exempl. p. 54. Haec Unio realis, sive sit interna, sive externa, non est sine mutua & reali unitorum praesentia. Nam realis unio est status realiter unitorum. Hinc non est sine unitorum reali coalitione, quam unio formaliter involvit. Quia alia unionis internae, & alia externae est conditio: Ergo non una unitorum est praesentia. Intima requirit intimam & adaequatam; externa vero externam & inadaequatam praesentiam. Non autem consistit unio realis & interna in locali praesentia, atque reali adessentia, sed in



coalitione intima. Praesentia enim conditio quidem est sine qua non realis & internae unionis, non autem ejus constitutivum; at quando interna rerum datur coalitio, interna quoque absolvitur unio. Si nuda rei ad unionem formandam requireretur approximatio, non tantum unio daretur interna inter Deum & humanam Christi naturam, & inter fideles; non tantum inter animam & corpus, cum quo essentialiter illa unita est; verum etiam inter Deum & Diabolum; inter Deum & infideles; inter animam à corpore separatam & angelum; inter Diabolum & hominem fidelem: & quia unio interna causa est communicationis, Deus etiam se communicaret arboribus: Diabulus communicaret se fidelibus. Vid. Paulum Voetium Philos. primae cap. 10. Sect. 10. pag. 211. sq. Quoniam Pater est in Filio, & Filius in Patre, quaeritur: an unio realis & interna sit inter tres Trinitatis Personas? Non quaeritur de Bono cum Mente conjuncto, & de unione luminis seu lucis, de quibus rerum principiis Gentiles & Cabbalistsae disputant. Procli opinionem exponit Steuchus l. 1. Perenn. Philos. c. 14. p. 536. de Cabbalistsae Auctor Princip. Phil. antiq. & recentiss. p. 5. sed de Personis, quas credunt Christiani, divinis. Quidam Theologi concedunt unionem κατ' ὁμοιοσύνην, sive ἁνωδης, vid. Hutter. Loc. de Unionem Sacramentali q. 4. p. 710. & Brochmand. P. 1. System. artic. 15. c. 7. Sect. 2. p. 299. Na-  
zian-



zianzenum & Pseudo - Dionysium idem dixisse affirmant alii, Vasquez autem in primâ partem Thomae tom. 2. disp. 131. c. 2. p. 129. dicit: in Nazianzeni & Dionysii scriptis legitur nomen ἔνωσις, quod unitatem significat. At ἔνωσις teste Stephano vid. tom. 1. Thesaur. p. 1159. significat unionem, adunionem, quo nomine primo, dicit Chemnitius de duab. Naturis in Christo cap. 9. p. 43. inter Patres usus est Justinus: & Vasquez ipse affirmat, Patres graeco illo nomine unionem duarum in Christo naturarum exposuisse, quod vero in Trinitate non unionem, sed unitatem illo nomine indicaverint, non probabit Vasquezius. Alii vero dicunt: inter Personas divinas, non tam datur unio, quam unitas. Hanc autem approbant omnes, quos nominavi, Theologi, vid. Brochmandus & Hutter. l. cit. Sentio ego posse terminum unionis in sensu eminentissimo de Trinitate dici, prout nempe nihil significat aliud, quam ὁμοσίας consequens, nempe περιχώρησιν seu ἐνύπαρξιν mutuan & singularissimam, quae Joh. 14. v. 10. & c. 17. v. 21. divina Auctoritate approbatur.

§. 3. Unio, quam Metaphysica considerat naturalis, est III. Essentialis. Hinc indirecte tractat accidentalem, quae accidentaliter unitorum coalitio est. Haec dividitur in accidentalem 1) naturalem, estque coalitio rerum, quae naturali modo accidentaliter unitae sunt. Accidental



que accidit unitis. Ejusmodi unionem sistit nobis ferrum ignitum, in quo ignis & ferri est coalitio, & ignis permeat ferrum. Hinc ferrum & ignis ad se invicem quoque habent respectum. 2) Praeternaturalem, quae unionem praeternaturalem habet causam, & praeternaturaliter unitorum coalitio est in unum ens per accidens praeternaturale. Nisi ejusmodi unio accidentaliter, interna & praeternaturalis inter Diabolum & serpentem fuisset, non potuisset Eva verba à Diabolo formata serpenti adscribere, nec potuisset Diabolus saltem externe cū illo unitus lingvā serpentis recte flectere, & verba facere. Περιχώρησις conveniebat Diabolo active, & serpenti passive. 3) Supernaturalem & Sacramentalem N. T. Sacramentorum, quae est status rerum, coelestis nempe cum terrestri, accidentaliter & supernaturaliter unitarum. Quod Sacramentalis unio realis sit, probat realis istius materiae conjunctio, seu unio. Baptismus est cum SS. Trinitate unitus. Realis Aquae & Spiritus conjunctio probatur Joh. 3. v. 5. Tit. 3. v. 5. Et panis in Coena jungitur cum corpore. Hinc dixit Christus: Hoc est corpus meum: & vinum est Sanguis Christi non formaliter, sed materialiter, & cum Sanguine unitum. Quod unio Sacramenti N. T. sit interna, ostendit nobis coalitio rei coelestis & terrestri; coalitionem vero probant communicatio & effectus spirituales. Externa quidem unio est sine communi-

muni-



municatione, nulla vero interna. Ista tamen unio est essentialis, quae status unius est essentialis. Res quidem coelestis & terrestres unum conficiunt Sacramentum, sed non unam rem sive ens. Est autem ista unio accidentalis, 1. Quia unio est accidentalis. Res enim coelestis se conjugit accidentaliter cum materia terrestri. 2. Terminus est ens per accidens, non per se. Denique illa unio non est naturalis, sed supernaturalis. Est enim & causa ejus & modus unionis supernaturalis. Ideoque unio est quidem accidentalis, à vulgari autem maxime diversa. Errant igitur Photiniani, Reformati & Arminiani, qui unionem sacramentalem unice relativam esse existimant. Vid. Hülsem. Brev. extens. c. 13. p. 826. sqq. p. 830. & cap. 14. thes. 2. p. 913. Inter Reformatos speciatim legatur Alstedius in Log. theolog. c. 32. thes. 17. p. 141. Περιχώρησις Coenae sacramentalem demonstrat Paulus 1. Cor. 10. v. 16. β. Spiritualem, quae est Sacrosanctae Trinitatis & carnis atque Fidelium coalitio, cujus plenariam descriptionem componunt Theologi. Haec unio est 1. realis. Est enim realis substantiarum coalitio: est quoque intima. Christus non tantum est praesens Fidelibus, neque extrinsecus cum illis unitus; sed interne cum istis conjunctus. Pater enim est in Christo, & Christus in fidelibus Joh. 14. v. 23. Et fideles fiunt participes divinae naturae 2. Petr. 1. v. 4. Quapropter errant,  
1) qui



1) qui unionem inter carnem Christi & Fideles  
 pernegant, de quibus lege Hülsem. Brev. ex-  
 tens. c. 14. thes. 1. p. 901. 2) qui unionem unice  
 approbant virtuales, vid. de Scholasticis &  
 aliis Pontificiis Quendsted. P. 3. System. c.  
 10. Sect. 2. p. 625. & relativam, vid. contra Re-  
 formatos Hülsem. l. cit. thes. 2. p. 913. thes. 4. p.  
 923. Si humana Christi natura a Fidelibus sub-  
 stantialiter abest, quae opinio est Reformato-  
 rum, nulla datur inter humanam Christi Na-  
 turam, & inter fideles realis unio. Non ta-  
 men est essentialis, quam Fanatici Weigeliani,  
 Enthusiastae, Jac. Boehmius & recentiores Fa-  
 natici defendere conantur. Vid. Hülsem. l. cit.  
 p. 923. Nonnulli quidem Theologi vocant u-  
 nionem spiritualem substantialem, intelligunt  
 vero substantialem non formaliter & ratione  
 modi, sed objective consideratam. Vid. Koenig.  
 Theol. posit. P. ult. §. 568. Unio speciatim mysti-  
 ca, seu spiritualis, est quidem essentialium, non  
 autem ratione termini, ut una fiat essentia, essen-  
 tialis. Contrarium non probatur Joh. 17. v. 22.  
 & 1. Cor. 6. v. 17. Particula autem καὶ ὡς indi-  
 cat similitudinem, non identitatem: & unus  
 spiritus non significat 1. Cor. 6. unam essenti-  
 am; sed unum spirituale corpus. Vocatur  
 autem spiritualis unio accidentalis, quia sub-  
 stantiis, quae uniuntur, accidit, & terminus  
 ex unione resultans non est unum ens per se.  
 Vid. Hülsem. p. 912. Contrarium non probat  
 θείας φύσεως κοινωνία 2. Petr. 1. v. 4.



Nam conformitas Christi & fidelium non consistit in essentiali substantiae nostrae in Dei vel Christi naturam conversione; sed fit per regenerationem & renovationem, & constat ex restaurata Dei imagine, quae & olim fuit accidens, & nostro quoque tempore est Fidelium qualitas. Hinc frustra opponunt nobis adversarii spirituales generationem, quam ideo, quia per generationem fit substantia, substantiae causam esse putant. Generatio enim physica, essentialis unionis ratio, & regeneratio non conveniunt in omnibus. Ut generatio novae essentialis causa est: ita regeneratio, generationi physicae tantum similis, est causa Fidei, novi hominis status, atque novae, propter novas, quas renovatio illi confert, qualitates, creaturae.

§. 4. Essentialis autem, in Metaphysica primo consideranda, unio, est partium essentialium in unam essentialiam completam coalitio. Haec unio est 1) realis, realis nempe extremorum, formae & materiae, & vera coalitio. 2) Est interna. Forma permeat materiam. 3) essentialis. Una enim ex materia & forma composita est essentialis, quae unum per se constituit.

§. 5. Metaphysica divina contemplatur Unionem quoque personalem, quae est inconfusa duarum Naturarum essentialiter completarum in unam Personam compositam coalitio. Quod unio personalis sit a) realis, probat

C

realis



realis divinae & humanae naturae coalitio. Sociniani, qui fieri, dicunt, non potest, ut duae formae substantiales, eaeque perfectae in unum idemque cadant suppositum: cum sic non unum, sed duo diversa existerent supposita, & duo Christi, refutantur à Johanne cap. 1. v. 14. à Paul. 1. Timoth. 3. v. 16. &c. Non defenduntur ratione, quae equidem ex duobus suppositis unum ens per se constitui inficiatur; duas vero naturas essentialiter completas unum saepe suppositum fieri, nunquam negavit: Illa ostendit quoque, quod forma qua talis suppositum non constituat. Ergo duae formae quales non augent supposita. Duae completae formae non fiunt una forma: non tamen repugnat duas formas in essendo completas divina virtute unum fieri suppositum. At fieri inquit Volkelius, non potest, ut *ὑπόστασις* à natura separetur. Respond. Humana *ὑπόστασις*, quia ab essentia realiter differt, ab homine quoque realiter separabilis est. Crellius opponit Personae naturam. Omnis, dicit substantia prima intelligens est Persona. Humana Christi natura est talis. Resp. Ad Personam constituendam formaliter ultimata requiritur substantia, qua propria humana Christi destituitur Natura, quae substantia est intelligens, & per divinam hypostasim subsistit. Lege inter Nostros Scherzerum in Colleg. Anti - Socinian. disp. 14. p. 414. inter Socinianos autem Catechesin Racovianam majorem ab Arnolde refutatam

tatam



tatam c. 1. p. 271. & Volkelium, quem refutavit Maresius l. 3. de vera Religione c. 1. de Natura Christi.

§. 6. Unionem personalem internam demonstrat περιχώρησις, Col. 2. v. 9. & refellit opinionem Nestorii & Nestorianorum, qui tantum externam inter Filium Dei & humanam Naturam unionē, in sustentatione humanae Naturae positam, approbarunt. At Deus sustentat omnes creaturas, cum quibus non est personaliter unitus. Est unio personalis omni unione spirituali major. Hinc à Justino Martyre vocatur alta. De nullo enim dicitur Credente: ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλῆρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς. Hinc si unio Dei cum fidelibus interna est, erit multo magis personalis interna.

§. 7. Quamdiu Unio durat interna, tamdiu durat permeatio extremi. Hanc unionem negavit Eutyches, qui Naturam Christi humanam facta unione absorptam esse existimavit.

§. 8. Unio interna & perfecta est sine Naturarum confusione. Unio igitur personalis, quia omni essentiali, omnique accidentali perfectior est, repugnat Naturarum, quam Eutyches affirmavit confusione. Patres, qui Unionem personalem commixtionem dixerunt, non subscripserunt Eutychis opinioni; sed intimam Naturarum unionem commixtionis voce indicarunt. Vid. Quendsted. System. Part. 3. c. 3. membr. 1. S. 1. thes. 30. p. 86.

C 2

§. 9. Unio



§. 9. Unio inter duas in Christo Naturas est speciatim personalis, non autem i. accidentalis, quae entis est per accidens; at Christus est Persona per se. 2. non essentialis, cujus & extrema sunt duae Naturae in essendo incomplete, & terminus est una essentia. Extrema vero unionis Personalis, sunt essentiae duae in essendo complete, & terminus est una Persona composita. Sic inter omnes constat, essentialem verbis explicatam unionem differre à personali, quam essentialem quidam Auctores ab extremis, quae essentiae sunt, dicere non dubitant, vid. Grauerū part. prior. Prael. acad. in Aug. Conf. supplement. art. 3. p. 573. Est nempe ejusmodi unio essentiarum seu naturarum; à qua multum differt unio, quae propter terminū ad quem essentialis seu naturalis nominatur. Concilia quaedam, nonnulli Patres, Thomas aliique Scholastici, speciatim Vasqu. in tertiam part. Thom. tom. 1. disp. 17. cap. 2. p. 159. & c. 3. p. 161. & Arriaga in tert. part. Thom. disp. 21. Sect. 4. p. 240. sqq. vocant unionem personalem substantialem, & Vasquezius speciatim essentialem & naturalem. Hi oppugnant opinionem Durandi, qui unionem personalem accidentalem esse, opinatus est. Durandum defendit Hurtadus, qui existimat, Durandum non loqui de unione accidentali physice, sed logice consideranda. Unionem dixit Durandus accidentalem, quae quid advenit enti completo, quale est Verbum.

Con-

084



Concilia & Patres vocant personalem unionem naturalem propter extrema, quae duae sunt Naturae. Vid. Jac. Martin. System. disp. 3. Colleg. 2. §. 7. & Arriag. l. cit. §. 4. p. 242. Patres, unionem duarum in Christo Naturarum substantialem accidentali oppositam hyposticam dixisse unionem, non possunt negare Vasquez. & Arriaga. Durando respondet Arriaga: Verbum quidem esse completum, perfecte tamen & substantialiter perfecisse humanam Naturam. Quod in dubium quidem vocandum non est; Durandus autem vocat eam unionem accidentalem, quia advenit Verbo perfecto & completo. Si Durandus nihil statuit aliud, quam assumptionem humanae Naturae esse accidentale divinae Essentiae, quomodo creatio & providentia Dei accidentalia sunt, atque ejus paronymum, sive extraessentialiter dicibile, nihil dixit, quod vituperatione dignum est. Unio autem, quam Metaphysica exponit, accidentalis differt multum ab accidentalibus & paronymis logicis. Inter accidentalem & essentialem unionem non dari mediam putavit olim Nestorius, personalis vero nos docuit, quod neque accidentalis, neque essentialis sit. Et Samosatenus non distinguit unionem personalem à spirituali, vid. Jacob. Martin. l. cit. §. 42. Deus autem & Prophetae non fuerunt una persona, neque dicere potest fidelis: ego sum Deus; ego sum Christus. Unio enim est personalis,



nalis, qua humana Christi Natura personata est, vel unita cum λόγῳ in λόγῳ subsistentiam venit. Vid. Jac. Martin. l. cit. §. 5. Hinc dicitur à Damasceno humana Natura ἐνυπόστατος. Nonnulli vocant Personam compositam totum personale. Ergo, inquit Crellius, est etiam totum essentiale. Totum vero essentiale constat ex materia & forma. Divina autem Essentia non est forma humanae Christi Naturae. Ergo, una concessa Persona, non una approbatur essentia.

§. 10. Est igitur unio personalis supernaturalis. Quia unionis modus, extrema & terminus supernaturalia sunt. Haec itaque unio non est oppugnanda rationibus. Cur Pater, facta totius Essentiae divinae & humanae naturae in unam Personam coalitione, cum humana Christi Natura personaliter non uniat, nescit ratio; Deus vero nos docet, essentiam divinam in una tantum hypostasi humanam Naturam assumpsisse. Duo disparata, dicunt Sociniani, non possunt simul unum & idem subjectum esse. Resp. 1. Duae disparatae essentiae incompletae, spiritus nempe & corpus possunt unam absolvere naturam, quae, ultimo subsistendi modo recepto, unum est suppositum. 2. Duae quidem naturae tam qua essentiam, tam qua hypostasim completae non sunt unum suppositum, quod ens est per se; duae tamen Naturae disparatae, quarum una in subsistendo incompleta est, possunt facta unione

nione



nione unum esse suppositum. Ostorodus à Feuerbornio refutatus putat fieri non posse, ut res sit intelligens, & sua destituatur personalitate. Christi vero humana Natura, propria hypostasi destituta, & divina Auctoritas probant contrarium. Vid. disp. 6. Anti - Ostorod. Feuerborn. p. 84. Smalzius, unionem personalem cum reliquis Socinianis nullam esse ratus, audet illam his oppugnare argumentis: 1. quod est, inquit, in alio ut accidens, & caret propria Persona, illud à Persona, in qua est, non potest diversum velle. Resp. Esse humanam Christi Naturam absolute et in se consideratam accidens praedicabile, sive terminum contingenter de Divinitate dicibilem, non inficior. Humanam autem Christi Naturam accidens esse praedicamentale, nemo, qui sua utitur ratione, affirmare audet. Voluntas non est Personalitatis, sed essentiae attributum. Hinc diversa inest Christo voluntas, quia ex diversis constat Naturis, voluntatis divinae & humanae fundamentis: una autem hypostasis, quia voluntatis non est fundamentum, non est ratio unius Voluntatis. Opponit. 2. ubi humana Natura non est per se constituens Personam, ibi homo certus & individuus esse non potest. Resp. Haec dicendi ratio: Humana Natura non est per se constituens Personam, vel est hunc in modum intelligenda: Humana natura, quae non propriam habet hypostasin, qua Persona formaliter constituitur, non est homo certus & indi-

indi-



individuus; vel hunc in modum exponenda est: Humana Natura, quae neque propriam, neque alienam habet hypostasim, non est homo certus & individuus. Priorem opinionem puto esse falsam; posteriorem autem veram: Sociniani vero putant, per se Naturae convenire humanae, ut sit Persona. At quia personalitas neque humanam constituit Naturam, neque illam necessario sequitur: & ad Personam formaliter constituendam substantia requiritur ultimata, ab essentia humana realiter diversa, non constituit humana Natura per se Personam. Cateches. Racov. dicit 3. Duae Naturae, quarum quaelibet Personam constituit, non possunt uniri unione personali. Resp. Duae Naturae, quarum quaelibet ultimata gaudet substantia, qua Persona intime constituitur, non possunt uniri unione personali. Ejusmodi autem non sunt Naturae in Christo. Obj. 4. Unio personalis mutat Deum, inquit Völkelius. Resp. Λόγος unione personali neque melior, neque deterior factus est. Ergo permansit immutabilis, perfecit autem humanam naturam, quam mutationi obnoxiam fuisse, nemo negat.

§. II. Unio personalis est singularissima. Differt enim non tantum ab essentiali & accidentali; sed fuit quoque semper exclusive una. Itaque frustra opponunt nobis Saadeel, Martinius aliique Reformati rerum, unionis personalis naturam oppugnantes, unionem  
exter-



externam & accidentalem. Vid. Seldii Topic. Calvin. p. 478. sqq. & Mentzerum tom. 2. Oper. in Anti-Martinio p. 360.

Thef. VI.

Ubicunque est unum naturalium intrinsecus unitorum totalium: ibi quoque est alterum qua praesentiam extimam, vel totaliter & adaequate, vel partialiter & inadaequate.

ἐν θεοῖς.

§. 1. **P**raesentiam intimam, quae est indistans unitorum adessentia antea probavit unio. Praesentia autem extima, quae unita in eodem sunt spatio, & ibi coexistentibus praesentia, res controversa est.

§. 2. Unio interna, adessentiae ratio, ostendit, quod non agatur 1) de improprie unitis, quae saepe in diversis sunt locis. Pater, nempe potest esse in Bohemia, filius autem in Hungaria. 2) Non de externa. Hinc Reformati unionem Antwerpiae cum Oceano nobis objicientes, statum mutant controversiae.

§. 3. Unita, intelliguntur tota atque ipsa extrema, non unitorum partes. Itaque vim propositionis non infringunt Reformati, qui anima, dicunt, est cum pedibus, & cum

D

ca-



capite unita; pedes autem ibi non sunt, ubi caput est. Haec enim sunt membra, & non unitum adaequatum. Dum anima in illo est spatio, in quo caput est hominis, corpus cum anima unitum, qua unam partem necessario in eodem est spatio.

§. 4. Intima unio non est sine intima adessentia, & tota res cum toto unitorum altero intime unita, in illo quoque est spatio, in quo alterum est unitorum: & si unum unitorum in aliquo est spatio absque altero unitorum, etiam intime cum illo non est unitum. Hoc probatur intimae unionis exemplis: In eodem spatio communi, in quo est ferrum, quoque est ignis intime cum ferro unitus. In quo spatio est corpus humanum, in eodem quoque est anima.

Thef. VII.

Ubi unum est personaliter unitorum, ibi propter unionem personalem est alterum.

ἐν θεοσις.

§. I. **U**Nio, inter Deum & creaturam accidentalis, non est ratio praesentiae, quae unionem personalem sequitur. Corpus enim à Deo olim assumptum speciatim columba, in qua Spiritus S. apparuit, Matth. 3. Fideles cum Deo mystice uniti, & materia sacramenti terrestri cum coelesti unita, non sunt res omni-



omnipraesentes. Unio enim inter Deum & creaturas accidentalis, non est ratio unius suppositi; Personalis autem unio est duarum Naturarum in unam Personam coalitio.

§. 2. Impossibile est, ut unio personalis sine praesentia sit intima. Si enim λόγος est extra humanam Christi Naturam, solvitur unio personalis, & unum definit esse suppositum.

§. 3. Praesentiam intimam necessario sequitur extima universalis, seu omnipraesentia: istam vero omnipraesentiae necessitatem, actus nempe secundi absolute immutabilem esse, pernegant plurimi Theologi, (quidam enim, speciatim Scherzerus in Systemate tribuit humanae Christi Naturae in statu exinanitionis omnipraesentiam, quam Philosophi ab operatione abstractam verbis exponunt,) qui humanam Christi Naturam in statu exinanitionis omnipraesentem fuisse, inficiati sunt. Quomodo praesentia intima ab Orthodoxis defensa ab intima, quae Reformatis placet, praesentia differat, ostendit Calovius de Persona Christi p. 116. Humanam Christi Naturam, non vi suae essentiae, sed virtute unionis personalis, facta Naturae divinae communicatione, omnipraesentem esse, omnes affirmant, qui sunt orthodoxi, Theologi.

§. 4. A nostra sententia abeunt Nestoriani, Pontificii, Reformati, & omnes, qui humanam Christi Naturam omnipraesentem



tem esse negant. Multi Adversarii, speciatim Alstedius in Logic. theolog. c. 20. §. 45. p. 71. dicunt quidem: Ubi unum aequiparantiae est unitorum, ibi est alterum: vel, ubi est unum unitorum aequalium, ibi quoque est alterum. Unio aequiparantiae, inquit Alstedius, est inter aequalia, ut inter duo asseres aequae late patentes. Unio disquiparantiae est inter inaequalia, ut inter brachium & corpus, divinam Christi Naturam, quae est infinita, & humanam, quae est finita. Sunt autem res unitae vel aequales, quae aequales habent essentias, e. gr. Lapis parvus & lapis magnus, qui uniti sunt; vel quae aequalia habent extraessentialia, e. gr. ea, quae vel in quantitate, vel in qualitate sunt aequalia. Sic duo asseres copulati aequalis longitudinis, aequalem habent quantitatem, & duae, si conjungerentur, stellae, aequali illuminandi virtute praeditae, sibi essent similes. Res vel sunt extrinsecus, vel intrinsecus unitae, quae sunt intrinsecus unitae, & dissimiles habentes essentias, ideoque inaequales, quarum perfectiones quoque sunt dissimiles, probant suis exemplis propositionis veritatem. Nam anima, quae diversam à corpore habet essentiam, diversasque perfectiones, est ibi, ubi est corpus, & vice versa. Si de aequalitate quantitatis, quae corporibus convenit, & de eodem ubi, seu spatio loquuntur Adversarii, invito concedunt animo, duo in eodem ubi posse esse corpora. Unio externa non requirit  
inti-



intimam adessentiam. Hinc asseres conglutinati, quos opponit Alstedius, neque conveniunt cum Naturis personaliter unitis, neque, licet sint aequales, sunt una in uno ubi seu spatio proprio. Sunt quoque corpora inaequalia nunquam tota unita. Brachium conjungitur cum caeteris membris tantum extrinsecus, λόγος vero intrinsecus.

§. 5. Adversarii opponunt porro 1.) Lucem cum sole intime unitam, quae ibi quoque est, ubi sol non est. 2.) Visionem, quae ab oculo non separatur, & ibi est, ubi oculus non est. 3.) Animam cum capite unitam, atque in pedibus quoque existentem. Respond: 1. Lux, quae intime cum sole unita est, ibi est, ubi sol est; lux vero solis effectus, sive lumen extra solis naturam longe lateque diffusum, ibi est, ubi solis natura non est. 2. Visio, sive videndi actus, qui radiorum objecti visibilis in oculo est receptio, non est formaliter extra oculum. 3. Unio inter animam & caput, item inter animam & reliqua membra est interna; unio vero inter caput & reliqua membra est externa: speciatim unio inter caput & pedes nec est intima, nec immediata. Ergo non una ratio est unionis animae cum capite, & unionis capitis cum pedibus. Anima cum capite unita est quoque extra caput, quia unio cum capite est tantum unio partis extremi, non totius extremi.

Thef. IIX.

Unionem internam necessario sequitur communicatio.

D 3

ἐκθεσ.



§. 1. **Q**UOD quaedam unio sine communicatione fit, non eunt inficias Lutherani. vid. Mentzer. tom. 2. Oper. disput. Anti-Steinian. 1. §. 26. p. 541. Duo enim asferes conglutinati sunt sine communicatis essentiis uniti. Nulla vero est interna unio sine communicatione.

§. 2. Haec sententia probatur 1. Natura unionis internae. Nam περιχώρησις seu immeatio fit ab essentia intime unita, quae alteram permeat, & se idcirco alteri communicat. 2. Si unio intima non esset communicationis causa, simul esset intima, quoniam pro intima esset habenda; non autem esset intima, quia sine communicatione esset. Nihil enim differret unio intima à nuda adessentia interna, nisi essentiae essent intime unitae, ideoque communicatae. Nam angelus, qui in eodem, in quo homo est, spatio existit, etiam homini intime adest; cum homine vero non est intime unitus, nec potest se isti communicare; at ignis intrinsecus cum ferro unitus, se communicat ferro.

§. 3. Si intima unio accidentaliter non est sine communicatione, etiam essentialiter, quam Bernhardus vocat naturalem. Vid. Chemnitium c. 7. de duab. Nat. in Christo p. 36. non est sine reali communicatione. Unio enim extremorū κατὰ σίαν est arctior accidentali, & unitum, si res naturalis est, (anima Christi cum corpore

pore



pore essentialiter unita res supernaturalis est) unum est suppositum, in quo partes, quae in unam coalescunt naturam, essentielles sine communicatione esse non possunt. Unio potissimum personalis est causa communicationis. Est enim essentiali arctior, imo si περιχώρησιν, quae trium Trinitatis Personarum est, unionem recte dici cum Chemnitio de duab. in Christo Naturis l. cit. p. 36. Dorsch. part. 2. Theol. Zachan. l. 2. §. 15. p. 24. Mentzero, (qui tom. quid. 2. Oper. in Anti-Martin. p. 95. §. 13. c. unio summa, inquit, est ἑνωθῆς trium Personarum in SS. Trinitate; in modesta vero responsione ad libr. Luc. Oslandri. part. 5. §. 193. p. 1497. περιχώρησις, inquit, rectius dicitur, quam unio) & aliis Theologis pernegamus, omnium arctissima.

Thef. IX.

Communicatio est traditio unitorum,  
qua unum alterius fit particeps.

Ἐκθεσις.

§. I. **C**ommunicatio non consideratur impropria, quae ἰ. κοινωνία κατὰ λέξιν, seu verbalis dicitur, quae nominis est traditio, qua multa illud participant. Hoc modo communicant se aequivoca: Deinempe nomen convenit Deo vero, Mosi, Magistratui & idolis. Angeli vox communicatur Spiritui finito completo, Doctoribus & Amicis. Est haec communicatio nominis vel vera, quae unionem sequitur debitam; falsa autem est, cujus unio non est debita. Hinc recte dicit Jacobus  
bus



bus Martini lib. de Communic. prior. c. 5.  
Falsa est, quando Papa dicitur sponsus Ecclesiae.  
Quod praedicatum, sponsus Ecclesiae neque  
proprie, neque per tropum Papae inest. 2. Κοι-  
νωσία κατὰ μέθεξιν est Universalis traditio, qua  
inferiora essentialiter similia naturam & attri-  
buta ejus participant. Genus materialiter  
acceptum communicat se & sua praedicata spe-  
ciebus; & res, quae est species, communicat  
se & sua idiomata omnibus suis individuis.  
Hanc μέθεξιν vocat Jacobus Martini l. cit. p. 19,  
logicam seu metaphysicam; physica autem  
dicit, μέθεξις est, quando ex uno subjecto ali-  
quid in aliud transfertur, ut cum vinum ex va-  
se uno in aliud effunditur, quae jam non consi-  
deratur. Μέθεξις explicata, est communicatio  
impropria, quia ejusmodi universale ante men-  
tis operationē formaliter ab inferioribus men-  
te separatum non existit, & natura, quae infe-  
rioribus communicata dicitur, non est in illis u-  
na; sed naturis fundatur individuis, & realiter  
diversis; Itaque nec unio universalis vera est,  
nec communicatio ejus propria: ad communica-  
tionem tamen priorum recte intelligendam  
valde utilis. vid. contra Keckerm. Jac. Martin.  
l. cit. c. 7. p. 16. sqq. neque 3. alia impropria;  
sed propria intelligitur.

§. 2. Communicationis descriptio convenit  
quidem accidentali; Metaphysica autem con-  
siderat directe essentialem, & quia divina  
est, etiam personalem.

Coll. diss. A. 218, misc. 65